



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Evropeae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Anglia

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1671

Capvt VI. Accusationes Campiani, & depulsiones. Commune omnium de illius innocentia iudicium. Damnatio eiusdem tanquam rei violatæ maiestatis: sed veram populo aperit damnationis suæ causam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10773



Accusationes Campiani, & depulsiões. Commune omnium de illius innocentia iudicium. Damnatio eiusdem tanquam rei violatæ maiestatis: sed veram populo aperit damnationis suæ causam.

C A P V T VI.

BIs de Campiano, iure quæsitum est; prius in aula, vt moris est, Vvestminsteriensi decumana; examine quidem minus solenni, & publico, sed in apparatus alterius inito. Illic Nouembris quarto & decimo siltitur Campianus; producuntur cum eo Rodolphus Sceruuinus, Iacobus Bosgrauus; Eduardus Risthonus; Lucas Kerbyus; Thomas Cottamus; Robertus Johnsonus, Sacerdotes Catholici septem; & Henricus Hortonus, iurisperitus, sed laicus. Prioris huius vadium elapsum est tempus colluie accusationum atrocium iis recitanda, ob quas accersebantur læsæ maiestatis; quibus silentio auditis, erant à singulis pro innocentia, vel simpliciter negandæ, vel confessione propria admittendæ. Innocentiam sigillatim responsione sua professi sunt, vt erant omnes penitus innocentes. Rogati quem causæ optarent iudicem? respondit Campianus, optare se Deum & Sacerdotes Catholicos; iuratus ipsum Deum, & quicquid vbique sanctum sacrumque est, nec se capitalium in Reginam noxarum, quæ sibi obiiciebantur, nec maiestatis reum, sed neque conscium. Et erunt, inquit, vel Londini vel toto vsquam regno, tam proiectæ conscientiæ viri duodecim, quibus tantum sit frontis, vt ausint damnare coniurationis octo, quàm multi adstantes homines quos nunquam contigit simul esse; ferè omnes nusquam, nisi hoc loco inuicem videre? qua ille exclamatione, eorum quibusdam ad hoc iudicium delictis, tantum iniicit vel pudoris, vel Religionis, vt Ministerium illud iudicandi, quod post dicemus refugerint. Sceruuinus prehensio ambabus manibus, cui pectus appresserat, cancellorum repagulo; Ego vero, ait, diuino iudicio causam meam committo, isque non solum duodecim quos nominaturi estis in iudices; sed vniuersæ omnino patriæ; nam si ex veris instituantur iis; nihil est quod refelli à me oporteat; cælum, & terram voco innocentia meæ testes, & arbitros. Quod magno pro se animi ardore, & excellentia dictum, excepit pro se ac sociis hoc apophtegmate, nos vera Religio, non ficta rebellio condemnat. His in Turrim Londinum remissis citantur in diem posterum Alexander Briantus, (tunc vt videbimus, iam

Z

noster) Scertus; Ricadsonus; Filbyus; Colingtonus; & Ioannes Hartus Sacerdotes, iis causa quod esset cum octo prioribus communis, Catholica inquam Religio, in coniurationis transfusa fucum; relectæ sunt eorum accusationes, ad quas suam seorsum singuli, innocentiam contestati, cum aliud non possent, tantum de se iudicium Deo, & patriæ permisserunt.

Die Lunæ proximè sequenti, Nouembris vicesimo habitum est examen alterum cuius maior fuit, quam ex omni retro memoria fuisset celebritas, etiam Principum capitalibus in causis. Stipabat aulæ vastitatem conferta hominum ex omni genere, & conditione multitudo, quos causæ atrocitas eò pertraxerat, destinata videlicet (quod accusatores garriebant) rebellio, Reginae cædes, & strages populi; agrè admodum probatu verisimilia, creditu longè difficiliora; sed cum ea Ministri Reginae pertinaciter in longum ducerent, tenebat complures curiositas obseruandi quibus essent ambagibus, artibus, & modis, accusationes ad propositum scopum perducturi, multos præterea vocarat desiderium videndi Campiani, talis videlicet, ac tanti, qui erat primas partes in ea tragœdia acturus; cognoscendique certò, quod Catholici affirmabant, negabant aduersarij; nunquam factum Opronus peierabat, an fuisset cruciatibus tam diris, atque immanibus distentus. Ad hæc omnes optabant audire, num pro fide, pro vita, pro innocentia perorantis, facundum ingenium, & generositas modesta, expectationi hominum responderet, & famæ, ergo septem eius appulsis sociis operiebantur illum ad iudicium septa, cum Tamisi vectus in palatium appulit Vvestminsteriense tota qua tenditur Londino distans, ex quo exscendit confertum vbique inuenit populum; accedensque ad aulam omnium in se aduertit oculos; hinc breuis quædam admurmuratio quæ statim coniecit, omnibus in illum attentè defixis, & Catholicis partim illachrymantibus ad eius incessum agrè fractum equuleo corpus, trahentis; partim vero suspicientibus alacritatem coloris in ore viuido modestiam & magnitudinem animi quæ vt postea memorabant, sereno in vultu maior solito legebatur. Talarem indutus crassiori ex panno vilissimam, & nudo capite, sed capillato procedebat, conduplicatis, intra manicas ad pectus manibus, plurimorum quidem poterat, nutu amico, & flebili signatus, & tacitè, teneritèque salutatus; nisi tantum perpauca aspectu aliquo hilariori non respondit. Præsentem socij inter se medium proclinatione corporis reuerenti exceperant, moxque tota in aulam prodiit forensium turba, Iudices, Iurati, Oratores, Patroni fiscalium, & quorum pars erat aliqua in tam graui, & publico confessu; tres tamen deerant numero iuratorum, nobilitate & prudentia insignes, quibus animo saltem, si minus Catholico, at Christiano, & nobili refugientibus de iis cognoscere quorum viderant scriptam, stabilitamque condemnationem, substituti sunt tres alij. Citantur ex formula nominatim rei, respondentque tollendo brachio se adesse; id Campianus vtrumque brachium gestans ex equuleo enerue, & velut pensile cum minimè posset, Sceruuinus, siue quis ex sociis alius;

brachium

brachium eius dextrum, post libatam osculo reuerenti manum, in altum extulit, moxque suo loco reposuit. Sic composita lis inter decertantes an fuisset tam dire Campianus, tamque horrendum in modum tormentis fractus; & qui aderat Optonus execrationibus omnium deuotus. Sub hæc cepit agere accusator Ioannes Poppamus causidicus, (volunt alij Procurator,) cui Andersonius, & Egertonius Collegæ, palmam linguæ audacis, & maledicæ facile concedebant; etsi erat magis verbosè disertus, quàm mediocriter orator, quod actione hac ita patefecit, vt post longissima & molestissima tædia quibus obruerat auditores, causæ adhuc ex eo proprium argumentum, & cardinem suspensi expectarent; nec ante desineret, iussus licet semel & iterum de causa dicere, quàm euomisset quicquid sorbuerat, rebelliones nimirum Northumbriæ, & Vvestmorlandiæ, ab annis duodecim repetitas, & idcirco, quod prouinciarum illarum Comites, vtriusque auctores, fuissent Catholici. Ast vbi occæpit in Hiberniæ tumultibus insanire, à Stucleo, & Sandero ante biennium concitatis, itaque illos artificiosè, ac perfidiosè maligna obscuritate describere, vt qui adstabant Rei octo, viderentur illorum fuisse conscij, architecti, & actores; non tulit rabulam Campianus, & abrupto dicentis erratico filo, quid, hic inquit, aliena cum nostris, aut nostra in causa cur tam extranea producuntur, tantisque locorum, & temporum, & argumentorum disiuncta spariis? de nobis, & ex nobis quærito; ad hoc sistimur, & adstamus, nulla de re alia responsuri. Reus es, dicito, maiestatis ob tuum illud à te dictum, aut factum; ac si tantum vales, vt verbum inuenias, quod ore, aut stylo mihi exciderit; cedo testes qui à me vel dictum audierint, vel manum meam probare potuerint; & de cogitatis tantumdem dicerem si sub alicuius testimonium caderent. Cætera quæ nobis imputas, si ad nos non attinent, vt quid frustra in iis recoquendis & agitandis ludas? si partem in iis habemus aut umbram, hoc vero age sis, explia, & proba. At enim scio, non facies nec tantum audebis, ne cogaris à limine regredi, & dicendorum inopia, in aliena euagari.

Hæc ille; in quibus historicus inter Anglicanos maximè celebris calamitosum suum relatis in chronicum, pro sua libidine lepidè arguit, quod nunquam facere omittit, quoties Campiani, aut rei Catholicæ incidit mentio: iuratus enim nullius delecta omnium laudator quæcumque à Regina, Ministris Regiis, & tota Protestantium colluie fierent in ruinam Catholici nominis, de iis ita scribit, vt videatur fuisse indubitanter persuasus, mente captos fore, cæcòsque posteros quicumque se legerent, toties ille vbi nulla se prodit probabilitatis suspicio, sexcentis licet oculis quæsitæ, euidentiæ exclamat, irascitur, spumat, conuitiatur, Sacerdotes potissimum Catholicos, idcirco ait impudentissimè mendaces, quod proiectè inficiarentur se in caput Reginæ, & ruinam Angliæ coniurasse, non quòd ea res vnquam somnio aliquo probabilitatis prætexi potuerit, sed quia Regni Administris decretum est, vera falsæve sit, eam Catholicis tribuere, velut confessione propria receptam pro vera, vt à Ministris, iu-

dicij perfidi, & iniqui auerterent maculam quo patibulo damnarent aliorum tantum testimonio quodam reos, sua tamen constanti, atque perpetua confessione innocentes. Hic ergo historicus, aliisque haud multo melior, de quo inferius; illam memorans Campiani virilem fiduciam, qua loquacitatem abruptit Popami; hæc subdit (& Deo laus veritatique laus, quæ styli adeo infensi coacto obsequio testimonium illustre pro Campiano dixit) his, inquit, placidè ab eo prolatis, & ore quidem specie aliqua indignantis serenum suum retinente, mirèque ad tempus composito, cunctis qui aderant patefecit, quantus esset naturæ indole, quantus ingenio Campianus; catus umbra fucare veritatem; opinionem sibi prudentiæ & scientiæ confirmare; norat enim priusquam pro tribunali sisteretur, quanta ipse clareret apud omnes vitæ, ac morum fama, & prærogatiui cuiuslibet quod possit hominem ornare; negabantque palam illius amici, & fautores, nobis quem possemus cum eo committere, quemquam suspicere, aded omnibus supereminebat. Reperitisque aliquot versibus Latinis de Catholicorum vena in laudem Campiani promptis, hinc certo conficit homo imaginofus, quod ne sanus quidem nisi malitiosè in exilem proferret coniecturam. Eo inquit, perductus Campianus ubi specimen sui publicum ederet, sustinere omnino debuit existimationem sui illustrem, & nobilem quam sibi apud omnes partam minimè ignorabat. Agere itaque eloquentia narrandi, elegantia dictionis, captionibus sophismorum, & plausibilibus inuentis, vt quod aliàs bellè apud alios ei processerat, fucum iudicibus faceret, iisque hæc ingenuitate & dicendi præstantia deceptis, proditones suas horribiles purgaret. Cum vero pondus accusationis totius à sociis tanquam insontibus, in se vnum auerteret; monitus est fuita cuique onus sufficere, ipsique aded, qui se omnium iactabat maximè innocentem. Ergo (attendat qui hæc legit ad probationem immanium, & horribilium coniurationum, quibus Campianus eiusque socij premebantur.) Ergo, inquit, lectæ sunt scripturæ, Sanderi, & Bristoui, proditionibus saturæ, in defensionem Bullæ Pij V. aduersus Reginam. Hactenus quod nunc est, quàm verax historicus, tam iuris consultus, & mirabiliter peritus, qui ad conuincendas Campiani, & sociorum coniurationes libros profert à Catholicis Sanderi & Bristoo Doctoribus editos pro diplomate Pij V. non quod ij libri ad Campianum aut socios vllò modo, stylo, consilio, opera spectarent, sed quod crederentur cum essent Catholici, à Catholicis scriptos approbare, tamen nec vidissent vnquam, multo minus legissent, nam approbatio quam ait, sub sensum non cadit; & si eos probassent, nisi ex eorum confessionibus resciri non posset, quæ ad hoc nunquam fuere adhibitæ. Sed de Pij V. diplomate fufius in alio eorum examine. De criminibus alienis non sine cachinnis auditorum Campiano affectis descendit ad ea denique Popamus, ex quibus probatis aut secus, formanda erat sententia. Contraxit illa Stouus, eius item æui Chronographus; diffudit Holinshedius, ingenium suum puerilibus ineptiis recreans quæ Campiano iocanti attribuit, totus cum cæuis historicis in eblan-

dienda

dienda mœcenatis Cæcilij gratia. De obiectis igitur Campiano eiusque sociis Stouus, (& meminerit lector Protestantium suorum lingua eum loqui) Nouembris inquit, vicesimo, in aulam perducti Vvestminsteriensem Campianus Iesuita & alij, seorsum singuli, & omnes pariter, accusati sunt maiestatis, quod spreto patriæ amore, maluissent Romæ, Remis, & alibi extra illam sub Papæ arbitrio viuere; cui cum essent ad omnia ex voto obnoxij, polliciti sunt opem omnem ad nefariam coniurationem cum Principibus cæteris in Reginæ caput, & regni exitium: promouendam, & propagationem religionis suæ execrandæ. Ad hoc in Angliam remissi destinati venerunt, die prius condicto ad solennem regni totius stragem, demptis qui secum arma coniungerent. Hæc sibi obiecta, effrontes licet pernegarent, rei tamen à duodecim iuratis pronuntiati sunt. Hæc Stouus, tam audax scribendo, quàm illi iudicando; velut ad stabiliendum iure aliquid tactum, nihil præterea sit necesse nisi vt factum fuisse narretur; nihil ad conuincendam accusationem, nisi vt scribatur, at enim nec tantum iudicij retinet turbatus animus; nec tantum consilij fraudulentus, quin semet inuoluat, capiaturque dum nititur capere; nuda solum est opus scriptoris huius explanatione, vt euident fiat quid veri & recti suis inuolucris significari voluerit. Particulatim ea euoluamus.

Ille imprimis ingens, & formidabilis Gregorij XIII, & Ducis Etruriæ apparatus millium quadraginta ad inuadendum Angliam præcinctus, ne vnus quidem gregarij peditis, aut æruginosi stlopeti fuit. Iuuit tamen publici Ministros imbuiere populum rumore suis consiliis vtili, quem saltem in præsens (quod abundè iis erat) non sinebat longinquitas examinari, aut discuti. Iam destinatio Campiani ad dimittendos scilicet fideles Anglos ab imperio Reginæ; quo tandem spectauit, nisi vt omnes illi ad omnia redderet obsequentes, quæ naturæ ac iuris instinctu debentur, & restitueret ei Catholicos Pij V. censura grauissima ab eius imperio exemptos; qua illos censura denuntiavère absolutos, Campianus, & Personius qui eam gratiam eorum nomine à Greg. XIII. impetrarant, neque id latebat Reginæ Ministros qui cum Campiano Pontificij rescripti interceperant autographum homines Cæcilij, verbatim in sua chronica retulisse, eosdemque vulgasse Campianum à Gregorio illuc missum, vt à Reginæ obsequio Anglos auerteret; quò prorsus non poterant secum impudentius pugnare. Licet autem Rescriptum Gregorij veter, Bulla pij V. vlllo modo obligari Catholicos *rebus sic stantibus, sed tùm demum quando publica eiusdem Bullæ executio fieri poterit*; quis non videt eam facultatem, Bullæ in opus, quandocumque tandem, conferendæ, non pertinuisse ad præsens tempus, damnatus est tamen Campianus ex præsentis, non ex possibili aut frustra metuendo, cuius metus futuri, nulla inditia, nullæ vmbre tunc essent. Somnium fuit (figmentum veriùs) Roberti Abortij qui se nobis prodest alibi clarius, suas illas de Campiano chimeras gratuitas, pro concessis & notis ponere, fuisse illum consiliorum participem, conscium arcanorum, coniurationum administrum, & executorem, quibus Reges externi & po-

pali (quales, quanti, quammulti nesciuit, cum scire non posset quod non erat) conspirabant, ad magnam Britanniam, credo, funditus remulcandam, assuendamque regno extraneo. Ad hoc tam sollicitè curatum, ut cum extraneis sociarentur indigenæ; Reformati Catholicis; membra feminei capitis; cum Ecclesiæ capite, Christi Vicario. *Hic, inquit, Campiani labor, & cæterorum fuit; huc omnes conatus applicuit, ut nomine religionis, quoscumque posset, ad factionem Pontificiam adiungeret; quos ille non ignorauit, mox ubi opportunum foret, cum exterorum copiis ad Regnum Elizabetha debellandum coalituros.*

Demus testibus locum, pars licet infamibus, pars prope pueris, atque inauditis; admissis nihilominus ad hoc status publici tribunal, creditisque probare euidenter coniurationem Papæ cum fœderatis Principibus, in Reginae caput, & Regnum Angliæ. Dixit pro testimonio Ioannes Crodocius mercator, menses Romæ viginti detentus, audisse sibi gratulantes id infortunium, quod clausus carcere, non esset suis oculis hausturus instantem Angliæ toti cladem. Dixit Carolus Sledius, pauper, venalis apostata, Romæ olim Mortoni Doctoris famulus, dixit inquam iuratus ab se sæpe numero auditum, de *magno die* hoc est supremi iudicij simili; quo tota Angliæ, ad certum quem ignorabat diem, ferro, & flammis deleteretur; hæc, præterea nihil, ad causam attinens dixere; nec qui eos producit historicus, quicquam quod adderet inuenit. Fuere tamen hæc ut cuiuslibet palam est, meræ nuces, recepta passim argumenta coniurationis euidenter probatæ. Nam quæ proditor Campiani dixerat Eliottus, à Paino sibi fuisse prodita, (Sacerdote sancto, & morte gloriosa, pro fide Catholica defuncto) non magis spectabant accusatos quam è Catholicis quemlibet; in quibus quicquid damnaretur, accusatis quoque nempe Catholicis, proinde consciis vulgus stolidum tribuebat, & iure damnari non tam colligebat, quam pro certo probatum statuebat. Coniuratione ergo Papæ, tam indubitato videlicet duorum testimonio stabilita; Campianum & cum illo reos, illius esse administratos altera deinceps hac euidentia sic conficiebat, vouent Sacerdotes seminarij Anglicani, absolutam Pontifici maximo obedientiam, quacumque in re voluerit; atqui mortem Reginae regni que excidium, demonstratum est eum velle; huius itaque voluntatis & operis administrati & curatores estis; ex hac tam noua, tam lepida, & solide certa colligendi forma, quæ in dialectico puero rideretur, tam augustum tribunal non puduit agere, & in octo infantes victimas infamis supplicij ferre sententiam! erant falsæ seorsum singulæ propositiones; falsum Pontifici ad quæcumque vellet obedientiæ promissum; falsa coniuratio Romana; falsum istorum cuiuslibet ex alio consequens, & nullum; fuit tamen voluntas Senatus grauissimi voluntas, inquam, ut pro euidenti hæc demonstratio vulgaretur. Defendit contrarium Campianus plus hora integra, luculentius (sic inde scribitur) meridiano sole, tulitque defensionis necessariæ, & iustæ fructum ut agerentur in rabiem Iudices, quod fixum iis esset illum occidere, sed in speciem reum, quam sibi speciem cernebant adimi,

adimi, seque omni sublato colore probabiliū accusationum, celeberrimo in theatro spectaculum fieri iuris perperam, est iniquè dicti. Perorauerat pro se ac sociis Campianus tam efficaciter, vt ab eo dicta malè concoquerent, & Protestantium deinde historici, quorum vnus à vero scripsit adeo aliena, vt obliuioni ea videatur non memoriæ mandasse; suam nimirum Campianus tum priuatam, tum sociorum innocentiam, manifestis defensionibus sic asseruerat, & offensas illi à Popamo eiusque collegis sic depulerat nebulas, vt nullum iustæ damnationis fucum iis relinqueret. Questus fuerat in hac causa nihil ex probatis, omnia decerni ex falso concessis, falsèque positis; inde omnia quæ consequerentur, imaginaria esse, & somnia. Tantos videlicet belli externi apparatus, quantis opus erat, ad obsidendam primùm, deinc ad oppugnandam, subiugandamque Angliam, hætenus latuisse; Reginae perspicacissimæ fugisse prudentiam, sagacitatem suspicacissimam consilij Regij; oculos mille in bonum publicum vigiles, & fœderatorum publica monita; tot inquam & tantos apparatus nec ante vulgatos, sed nec leui prius rumore auditos, quàm capti essemus? nec mente alia, sinevè rescitos, & receptos nisi vt ex iis damnaremur? nam si Italia, Hispania, omnia, in Angliam mouent, vbi par Anglorum, qui eis resistat apparatus? at enim faciunt sapienter Angli, qui aduersus fictos exercitus arma non parant sumptuosa, & vera. Seditio vero intestinæ, tumultui, & ruinæ quæ in magnum diem instruuntur; quænam potest veri vmbra obduci, præterquam nostri gratuitum odium, iuuat hæc credere, vt eorum nos damnent administratos; iuuat non credere, ne malo cogantur occurrere? mihi dicite oro! tantæ rei moles, regni euersio, regnantis mutatio; noua legum; noua religionum iura (nihil enim leuius complectitur crimen quod nobis impingitis) possent hæc seclusa consciorum turba, fœderatorum sequacibus studiis; sollicitantium perfidia, machinatione, mandatis confici? cur non ergo vbique delegatorum, quæditorum, & iudicum turba? exploratorum indagines, regni totius excubiæ, in omnes cuiusvis Catholici, motus, nutus, ipsaque adeò cogitata; estnè hætenus vel conspecta imago, vel afflata aura coniurationis? tam certò ponitur nulla esse, vt ne quærat quidè; tam certo ponitur certa esse vt *Euidencia* nūcuparetur, deerit alioqui iudicibus color, quo me morti addicant tanquam caput coniurationis; istos tanquam illius administratos. Si foret ex integro mera calumnia instruenda in causam, mortem innocentis, an posset aliis niti principiis, aliòve progressu circumduci? affingitur nobis intentata Reginae mors; Regno pernities; nationi vniuersæ strages; domi latemus annum iam solidum mouemúsque, aiunt tanti machinamenti opus, mandamus, digerimus, promouemus; nugæ! ne verbum quidem contra nos profertur sinistra capax explicationis aut suspicionis. Quam multos hætenus Sacerdotes Roma. Duaco, Remis, è seminariis in regnum reduces torstis, excarnificastis, equuleo, Scavingeride, insertis sub vngues muticibus, compepe pensili, inuerso suspendio, fame, siti,

subterraneis specubus, aut ablimilibus tartareo barathro? quid autem ex quopiam illorum vno tantum extortum à vobis est aliquid, non dico confessionis perspicuæ sed vocis aut syllabæ ex qua posset conuinci reus; cæteri ob culpæ similitudinem in suspicionem trahi. De Sacerdotibus quid loquor? Intimi quondam nostri, versis nunc armis, & religione, vestri sequacibus nobisque infensi, nec tantum sciuerint, nec tantum ausint, vt fictum etiam contra nos singulare aliquid testentur. Testem se iactat Eliottus coniurationis, quæ fœderatos inuoluit saltem quinquaginta; adest is præsens, in medium prodeat, ex iis vel vnum de nomine appeller. Dicebam Lyfordij ex sacro pulpito rumpi mihi pectus culparum dolore quibus patriam meam tantis, & tam latè diffusis cernebam laborantem; illius potissimum quæ esset omnium maximè capitalis, segregatæ nimirum à Catholica fidei, & subductæ vero suo parenti, & summo Pastori, Romano Pontifici obedientiæ. Deplorabam cæcos, à cæcis duci, & in eandem perniciem ex concionibus, & pulpitis trahi: vtrósque die illo vniuersalium rationum formidabili & horrendo, apertis sed sero coram iudice omnium oculis accusatores fore sui mali, desperati hunc, & insanabilis. Audiuit dicentem Eliottus, & dicta retulit. Vos diem supremi iudicij, in supremam transuertitis, transformatisque Angliæ ruinam à summo Pontifice designatam, & ab Anglis Sacerdotibus ducentis susceptam, qui Cardoxio præsentem, sed solo, & iurato sua Romam misère nomina vt adscriberentur inter coniuratos: sic enim nostra solummodo causa, mutarunt naturam coniurationes, & vbi nihil solet iis esse sanctius silentij arcano; nostra hæc de capite potentissimæ Reginæ, Regni que exidio custodijis vigilantissimis muniti, palam, & promiscuo in foro, digesta est, & contestata, tam libera in luce vt mercatori agenti licuerit sua illam honestare præsentia, non velut socio, & Ministro, sed de illa vt coram pro testimonio hic vobis diceret, profitereturque se testem auritum coniurationis; oculatum vero nominum ducentorum, quæ in eam dedissent totidem Secerdotes. Per me quidem illi adhibeatur fides; sed hac saltem lege vt de tot illis in regnum regressis vel vnum designet, & in os præsentem exprobet; tu ex illis ducentis vnus es; nos eorum censemur in numero ex temerè creditis falsoque positis, inde conficitur Anglorum milliones fuisse à nobis Reginæ imperio subductos, & pro Euidenti statuitur, & Euidentiæ nomine vocatur. Ah! tangat vos oro aliqua tribunalis vestri, & honoris fama; date vnum tantum, & victus do manus, ex illo vno, reos esse fatebor sexcentos. Sonat maior Romanis, Remensibus, & longinquis de rebus strepitus, quas præiudicata fide pro veris credere in rem vestram facit, nobis frustra sit negare. Papa in armis est aduersus Angliam; quos educat in seminariis Angli, vno illi tenentur, obedientiæ ad quæcumque iusserit expeditæ. Vultis à me hic vobis, apprimè omnium conficiis, Europam omnem in contrarium produci? hoc tamen si negamus, effrontes dicimur. Nobis enim constanter negantibus; vobis nulla probatione id asserentibus, iam omnis & coniuratio, & rebellio, & proditio euanescit,

euanesceat, nec vobis superest vel nocturni somnij imago ex qua possimus à vobis damnari. At si vobis tantopere cordi est habere nos reos maiestatis, cur non inquirimur de ministeriis Sacerdotum, quæ ex noua legum feueritate nuper instaurata, apud vos capitalia sunt, & rea violatæ maiestatis? nemo vnus ex nobis inficiabitur, cunctabitur nemo se reum proclamare; in Tibornum, & furcas, & ignes excurremus læti. Nullus ergo nos agit mortis metus, ad negandum quod reipsa est falsum, & ne in somnis quidem à nobis cogitatum; quando illa vltro profiteamur, quæ non ambigimus proditorum supplicio plecti.

Dicenti Campiano (dixit autem multis, sed interceptis horis) adplausum est summo auditorij omnis silentio, expectatione, admiratione efficaciam, & ardoris, cum prudenti vbique modestia; ipsisque aded à Protestantibus, mira commendatio accessit. Is quidem haud palam & apertè innocens vocabatur. Sed tacito omnium assensu, & diuinabant ita confidenter quicquid sociis fieret, illum omnino absoluendum, vt de eo etiam aliqui sponcione certarent. De sociis nulla suberat ratio dubitandi, nisi obstitisset Caddeus quidam annorum iuuenis viginti duorum, & paulo adultior, sed multo malitiosior, Mondeus; vterque breui seminarij alumnus, desertor nunc fidei, promptusque pane periuria vendere, & innocentum sanguine victitare. Testati fuerant priuatim (contra quàm debuit) vt erant à Ministris iussi, Romæ, ac Remis vltimo Martij superioris anni actum esse in seminariis Anglorum de tollenda è medio Regina, regno Angliæ subuertendo, tradendoque in possessionem alterius Principis: cuiam vero? planè ignorabant. Hinc qui aderant Sacerdotes Catholici; & septem postredie, pronuntiati sunt rei delatæ ad coniurationem propositam operæ, Briantus; Fordius; Colingtonus; Scertus; Filbeus; Ricardsonus; tàmetsi argumenta probandæ vnius coniurationis, probabilitatem adimerent alteri. Sed vbi cum aliis depulsionibus hæc quoque audita est Campianum per id tempus sexcenta milliaria emensum nunquam pedem Romam intulisse; Fordium nec Remos, nec Romam vidisse; Briantum & Ricardsonum egisse palam in Anglia octo ante Martium mensibus; Scertum & Colingtonum incoluisse illam multis retro ab annis; Bosgrauium è Lituania, valetudinis causa edo vestum; partem eorum maximam, simul nunquam fuisse, quo tandem igitur nouo prodigio visos, Romæ ac Remis, & auditos inuicem coniurare? Fuit hæc falsi probatio stolidis etiam tam clara, vt eam exceperit populi obnurratio. Sed adesse mox casuræ accusationi cum collegis Pompanus, exclamare, ac vociferari atrocitatem sceleris, prodicionem patriæ, regni stragem, externi tyrannidem, & quod flebilis augebant Regiæ necem, & propudiosa dehonestamenta, quorum se horrore mendacissimus Holinsædus ait se cohorruisse animo & manu, & ab iis scribendis coactum obsistere; velle tamen hæc Papam; Papæ hos esse ministros cum Iesuitis aliis, & plantis seminariorum virulentis; omnes præter Ortonum Sacerdotes Papistas, omnes facinoris conscios, coniuratos & reos; nihilque interesse, Romæ simul, & Remis, aut locis disun-

eti vaciis eam perfidiam struxissent. Hac arte, vis causæ à præsentium restium falsitate, retracta est ad præoccupatas, & longinquas opiniones imaginarij criminis, quibus ita inualuit falsitas, vt reluctante licet Euidentiâ, innocentes pro reis haberentur.

Profligata causa miseræ coniurationis, neque tunc tamen aut deinceps à populo creditæ, quantumuis ad eam confirmandam Popami furor insaniret, subtilioris malitiæ inuentum damnosius excogitatum est. Quæ sita sex iis proposita sunt, quibus nec paratos, neque meditados absque vlla mora satisfacere oportebat; pronuntiandos alioqui rebelles Catholicos, & regni proditores, haud vllò quidem suo dicto, factove, sed ex voluntatum, & animi sensibus coniecturæ alicuius indicio proditis. Porro illa sex interrogata, Pij V. Bulla pepererat, cuius in iis crebra fiebat mentio, eam ob rem initio, totam integrè prælegi placuit, post hoc fisci patronus, interrogat primò ex singulis, eius Bullæ fulmen in Reginam intortum, an censerent esse iuris legitimi, tenerenturque religione Angli, ad obtemperandum illi diplomati. Secundò, an Elizabetham censerent verè ac legitime regnare, tenerique subiectos religione præstandæ illi obedientiæ nulla eius Bullæ habita ratione, aut sententiæ cuiusvis vel in eam latæ vel in posterum ferendæ. Tertiò, an esset penes Papam id iuris vt posset subiectos Reginæ populos, ad arma in illam ciere & ditiones illius inuadere; hique morem gerendo extra culpam aut forent, aut criminis rei. Quartò, essetne in Papæ potestate quantumuis ex causa fidelitatis sacramento vel Reginæ Christiano cuius Principi debitæ, ritè absolueret. Quintò, Doctores Nicolaus Sanderus suo *de visibili Ecclesia Monarchia* libello; & Ricardus Britous, *de rationibus ad fidem Catholicam amplectendam mouentibus*, Pij V. diploma confirmantes verum aut falsum defenderent. Sextò, si quando eueniret, vt Papæ seu iudicio siue diplomate, Regina denuntiaretur, & regno pariter, & regni iure excidisse, & subiecti ab eius obedientia immunes; regnumque aut externus Princeps, aut Papa ipsemet aggrediretur occupare; vtri se partium adiungerent, vtra esset probis, & fidelibus Anglis propugnanda? Hæc à me ad verbum reddita ex iis quærebantur. Ad hæc loco responsi silentium & taciturnitas, quid aliud erat, nisi confessio infensi aduersus Reginam animi? multo vero magis, & lubrica & periculosa responsio, quæ sitorum versutia nouis subrepente interrogandi cuniculis, quibus se implicuit arctius, cui libitum fuit pluribus respondere; non tunc modo inter octo illos, qui pro tribunali constiterant, sed multis post annis inter quamplurimos. Estque illic visi cuiusdam memoria Sacerdotem nostrum, Religionis causa cæsum, Monacho S. Benedicti amicissimo suo, moxque iudicibus sistendo, spectabilem, auctorem fuisse, vt paucis loqueretur, vt pressim ad interrogata, vt quàm parcissimè, ac ne quem illius imperitum fori, moretur tam abstrusa in Sacerdotibus Catholicis cautio, vt quò doctiores, cò essent verborum in respondendo parciores, & subterfugerent, quid iuris decidere? volebant nimirum pro suo & pio & sanctissimo iure Religionis Catholicæ nomine mortem oppetere, nec eius inferendæ

inferendæ alium reuera titulum aduersarij fouebant. Nolebant autem huius tituli honorem, opinionis alicuius probabilis improbatione, aut damnatione maculari, Academiis præsertim famæ præcipuæ Pij V. diploma sic explanantibus, vt ea qualiscumque esset expositione, Sacerdotes Catholicos Ministri Regij validissimè impugnarent, culparéntque illos quod seditionis, & rebellionis meræ ambitu agerentur ad sentiendum iis contraria, quæ Academiæ celeberrimæ sentirent, in quas possent priuatum conscientiaæ scrupulum secutè deponere. Sed existimantes Catholicorum maximè cordati, nec sibi fas esse in omnibus inhærare sensui alieno; nec inuoluerre se ductis ex alio in aliud quæsitis, nihil attinentibus ad religionem pro qua vincti certabant; silendo quidem respondebant; subiecta tamen silentij causa. Quod fecisso legitur Campianus, cum eadem illa interrogaretur. Non sunt hæc inquit, huius tribunalis. Huius est de factis non de cogitatis cognoscere; & ex testibus, & tormentis in iure dicundo procedere. Sunt hæc ad Academiæ referenda, & inter Magistros, ipsis à Magistris theologice disputanda. Lustratis dehinc breui oculi circumiectu, iuratis duodecim; & inter hos, ait, responsionum mearum Iudices Theologum video neminem, aut professione literarum, cùmque vrgeretur, apertius & explicatius effari, esset necne Elizabeth vera, sola, & legitima Angliæ Regina? respondit se illi super eo quæsito respondisse cùm esset ab ea in domum Comitum Leicestrensis coram accersitus, hoc est Roberti Dudleyi, cuius alloquij, facta est superius mentio. Non fuit aded ad sex illa quæsitia consultus Bosgrauus, & Ortonus. De hoc nihil ad me attinet scribere, nisi aliquanto inferius amorem & reuerentiam erga Campianum, adeo insignem vt legi non possit sine commotione eiusdem affectus. Bosgrauum licet in viam reducere tentaret Campianus, quin & à dicendo abstrahere, interpretando ab eo dicta sermone Anglicano elegantiori, sed ultra lineas iam transilierat, quod sedato mox animo repetens, doluit vehementer petiitque eodem illo, & postero die, cartam, in qua emendatas ad Regni consiliarios responsiones suas transmitteret, testareturque se illas reuocare, quod & præstitit postea vt ab se conscientiaæ angorem, offensionem à Catholicis amoueret; vocans suum illum respondendo lapsum improuidum debilitatem animi, timiditatem, deceptionem, illusionem iudicij, ac demum stultitiam. Quanquam in Bullam Pij V. nihil eorum illi exciderat, quæ fuere ab eo dicta, typis vulgarunt Protestantes; huius enim rei, certiore fecit Alanum Doctorem nouus è carcere Londinensi Remos aduectus Catholicus. Ex iis tamen quæ consecuta sunt, credi posse opinor, volentem medium inter partes oppositas tenere, apud alteram offendisse, alteri non satisfacisse quod ferè iis euenit, qui quod adherere alterutri nolint, gaudent neutri appellari; quare morti addictus est, nec liber dimissus, sed reiectus in primum carcerem, vitam illic diu longas inter miseras acturus minimè vitalem, etsi enim illum ab Elizabetha, Rex Poloniae Stephanus, magnæ gratiæ loco petierit, ex ea nihil retulit præter comitates, & amica verba, quoad illo communi ex Catholicorum Sacerdotum exi-

lio, post quadriennium Rex eum recepit, eiusque ingenio, & virtute vsus est annis deinceps octo & triginta, donec tandem Caliski labores cum vita clauderet Octobris vicesimo septimo, anno æui huius vicesimo tertio.

Cognitione causæ absoluta, Iurati duodecim secedunt soli, vt statuam, num iustis probationibus confirmatæ sint accusationes; Iudices interim cum forensibus Ministris prandij nomine dum cibo aliquo corpus curant, potum reis mittunt extra Cancellos tribunalis, pendente populo vniuerso in expectationem sententiæ. Habeat hic locum leue quoddam, sed Christianæ pietatis nec leue nec vulgare factum; stanti Campiano assidebat haud procul vir nobilis de Ropperiana familia, qui Campianum conspiciatus ex equuleis eneruem, non posse ori manus admouere, ex loco prodit, sibi que honori præcipuo duxit suis illi manibus siphum, porrigere, labrisque illius applicitum dum ebibisset sustinere, qui amoris index & reuerentiæ; laudatores quoque nactus est Protestantes. Dum aut deliberant Iurati, aut deliberatione simulata moras trahunt, ne damnatione pridem stabilita, cognitionem causæ viderentur, & rationes præuertisse; deliberabant simul ex confertissimo populo singuli, diuinabantque quodnam esset illorum de reis futurum iudicium; Aderat illic inter Catholicos nobiles Henricus Vualpolius tunc nauans literis operam; adscriptus deinde in Societatem, & quartodecimo post anno in Anglia, pro fide Catholica, perduellionum supplicio necatus; hic ad omnia quæ tunc agebantur, & audiebantur diligentissimè ac minutim attentus, eorum reliquit autographum, ex quo certius quam vsquam aliunde constet quis esset omnium de Campiano sensus. [Assidebam, ait, Campiano, cum lata est in eum mortis sententia. Stetit ad tribunal horas octo; ante meridiem quatuor; sex ad septimam vespertinam quod tempus horarum vndecim densè occuparunt Aduocati, Procuratores, testes; præiudicii opinionum in illum, & socios odiosis, & testimoniis criminum; quibus ipse vnus aliorum rogatu omnibus respondit, & quidem, ni fallor D. Cottami; qui, mittamus, oro, loquatur P. Campianus, & satisfaciat pro nobis solus. Fuere autem hæc responsiones, nec paratæ, nec à meditato in iudicium allatæ; calumniæ autem ab aduersariis diu magnum per otium concinnatæ; iis nihilominus ita satisfecit, vt curiosorum perfringeret aciem, qui partis aduersæ criminaciones scripto exceperant, & exaggerare satis in eo non poterant, instructam præiudiciis omnibus mentis libertatem, in articulo rerum tam arduo, & in lapsum prono; respondendi acumen velox & facile, ad rationes promptas ex legibus, quarum peritiam non profitebatur, modestiam denique persona dignissimam quam agebat, & causæ merito quam susceperat defendendam. Quare illum Iudex Christophorus Vvrayius & cœpit obseruare, & appellare honorabilius Dominum Campianum; volensque alium corrigi qui respondendo nec modum tenebat nec ordinem; vellem inquit, imitarere Dominum Campianum, & ex eius exemplo te fingeres: Actioni quoque intererat Heroëus Doctor hæreticus iussu Domini sui

Comitis

Comitis Vvaruicenis, vt quicquid in ea dictum, agitatúmve foret, scripto ad se minutim notatum deferret, cuius mihi quidem apographum, sed hac lege daturum promiserat, si Comes illud vulgari sineret. Perlegit attentè oblatum Comes, & suspexit admirans, instititque nihilo secius, an quæ illo in scripto legerentur, integrè omnia respondisset, sigillatimque Campianus? quin & meliora & plura, inquit Doctor, multa enim haud satis complecti, potui, & perceptorum dum ea notare tam plenè haud memini. Comes vero hic magnum iurans, magnus planè vir, exclamat, Campianus! sed hanc mihi peculiariter scripturam asseruatam volo nec communicari cum aliis. Prætentaram & Strixlandum Iurisconsultum mihi que notissimum quò ituros censeret Iuratos duodecim in hoc iudicio; & singulariter Campiani? qui etsi palam hæreticus, non potest inquit, ex æquo & iure pilus vnus torqueri Campiano, adeo ad parum purgavit omnia, quæcumque illi obiecta sunt; sed neque cæteris, nisi forte vnum aut alterum anticipata suspicio reos efficiat. De me vel vno eadem in causa quid Catholici sentirent conicio; qui mihi dicendo sic satisfecerit, mortalium audiui neminem, & scio eius præsentia, & dictis non esse modo corroboratos Catholicos; sed multos iis accessisse, quos perturbati animi, non excæcabat penitus falsum iudicium.] His à Vvalpolio consignatis possum, si iuuat prolixius agere, testes magnos, tametsi aduersarios, veratissimos in omni foro, & iuris peritia, pro innocentia Campiani; certè vnus ex iis postridie, quamquam hæresis suæ pertinacissimus, Thomæ Fitzherbert, nobili viro asseruit probationes aduersus Campianum fuisse tam flaccidas; depulsiones, & defensiones aded ineluctabiles, & claras, vt contra suam omnem expectationem affirmaret eius sibi damnationem accidisse.

Breui post spatio (nam decreta iam res longa non egebat consultatione, repetunt iudices tribunal; sedes suas Iurati duodecim cum damnationis sententia, quam intorsit in reos Leo quidam, vocis *Gilri* lethali vulnere quo omnes æqualiter confecit. Stupens ad hanc vocem fori totius silentium, & horror, attonitis omnibus, contra omnium expectationem, post innocentiam Campiani tam liquido, & perspicuè stabilitam, edi potuisse; sed rogatis diu passim postea seorsum iuratis, sanguinolenta vox, & inexpectata, quo pacto iis excidisset; pro se collegique responderunt, non potuisse aliter fieri, nisi si quibus sufficeret animus, ad amicitiam cum iis nihilominus tenendam, qui possent eos alioqui inimicè vexare, & perdere. Restabat de more iudici ex reis quærendum, esset iuri eorum necne abundè satisfactum? & iis aliquid superesset, quo vellent comperendinari? Cui pro se Campianus; hoc vnum superest quod dicam precari me vobis, accusatoribus, & aduersariis omnibus, à Præpotenti Deo benigniorem sententiam, *In die illa tremenda.* Solus ex productis die proximè sequenti Colingtonus Sacerdos, cum Campiano Lyfordij captus, pro se testem accepit fide dignissimum Thomam Lancastrium nobilem, quem si contigerit audire inquit de hac mei damnatione periniqua, iurare poterit per quicquid est, nos vnà Londini fuisse, simulque collocutos, eo ipso

die, quo accusatores mei affirmant se Remis me vidisse, coniurantem in Reginam, & regnum; designauitque iudici, ædes, & locum vbi fuerant collocuti, subdens inde illi futurum perspectius quàm sinceræ fuissent accusationes, & quàm rectè administratum de cœteris iudicium. Erat Deo volente media in turba Lancastrius, qui citati se testem audiens iureiurando quod à se poscebatur sanctè fidelitèrque confirmauit, & quicquid fuerat à Colingtono dictum, eumque morti eripuit; coniuente ad testes tam manifestè falsos optimo iudice, quos oportuisset talione crudelem perfidiam luere. Nec deerant alij, quibus erat communis cum Calingtono vitæ defensio, sed noluère viri Dei, (quod notat breuiarium carceris Londinensis) martyrium à se auertere, ipsique Colingtono futurum erat gloriosius tunc mori quàm viuere. Supremum iudicem Christophorum Vvrayum, tradit Alanus mente fuisse Catholicum; vita politicum; atque vt suus Campiano Iudas Eliottus; ita hunc eidem fuisse Pilatum; dignata est, sed frustra, diuina bonitas scelestum signo terribili, quo illum à sacrilegio immani dimoueret; manum enim forte chirotheca educens, vt Tarazonensis narrat Episcopus, miratus est sanguine aspersam suo cum anulo, quem cum nulla satis posset diligentia elui & abstergi, proximorum quibusdam ostendit, intèrque alios Roppero, calcaris tunc aurei Equiti, postea Baroni (à quo P. Gerardus id accepit) stupens & anxie ex eo requiritans, num & ipsi cruentæ essent manus. Pronuntiauit nihil timidius infelix aduersus innocentem, mortis sententiam, quare destinato cœlitus tempore ictus est tam crudeli morbo vt rabiosus perierit. Fuit autem sententiæ forma qualis à prisca rei memoria, in summos parricidas esse confuerat, quorum mors deberet atrocitate supplicij, publico exemplo, & terrori esse; & eò denique ventum erat vltimæ caritatis, vt inter scelestorum portenta probrosissimis, & crudelissimis perduellium luenda supplicij, censeretur diuini cultus, reparatio, & conseruatio auitæ pietatis, tot illic seculis prodigiorum cœlestium perpetuo testimonio sancitæ. Damnauit igitur Campianum, & socios Iudex qua solent rebelles, & proditores pœna, raptandi primum è carcere ad furcas cratitia traha; inserta inde in capistrum gula suspendendi; recisóque mox laqueo distendendi cadentes in tabula, vbi amputantur quæ ventri subiacent; spirantibus adhuc interdum semiuiuis intestina ventre aperto educuntur, tortoribus interim manus, pedesque stringentibus; tum fisco è pectore cor extractum sublimè tollitur, ostentaturque populo voce carnificis, proclamantis, en proditoris cor. Quod cum visceribus postea, & primum resectis, igni parato comburitur. Præfixum hastæ caput ad portam statuicur qua patet ad Tamisim via; membra secti quadratim corporis semilixa destinatis compitis depanoneur monumentum sceleris & exempli populis futura.

Tam iniqua & sæua damnatus sententia Campianus, pie oculos in Cœlum culit, & ore alacrite Deum laudamus, te Dominum confitemur, gaudens incinujt. Sceruinus, hæc dies quam fecit Dominus, exulicemus, & latemur in ea. Tertius, Iudica me Deus, & discerne causam meam. Quid à cœteris

ris dictum sit scriptum non reperi; sed de Edmundo Campiano, damnationem illam ter beatam, fuisse illi eo ipso die de cælo missam, qui erat Edmundo Martyri, Regi Angliæ Sacer, quem propterea Surtius nuncupavit *Duorum nunc Edmundoꝝ natalitiis consecratum*, mouit autem populum vehementer illa eorum sedati animi tam generosa fortitudo, in feralis sententiæ auditu, multisque probatam argumentis innocentiam illorum plurimum confirmavit. Ipse quin etiam proditor Eliottus, vel conscientię adactus verbere, vel communi affectu miserationis, Campiano accedens gemebundus, si putassem, inquit, causam tuam tam funesto exitu claudendam, nullis vnquam meis aut damnis aut præmiis structas in me accusationes, tui accusatione redemissem. Sed præter carcerem ad summum, nihil secus quam velles inde tibi futurum credidi. Oblitus sui Campianus totusque seruandæ illius animæ intentus, amica & leni adhortatione suasit misero, ad fidem Catholicam rediret, & pœnitentia scelerum, Deum, & conscientiam placaret. Verum homo proiectæ salutis, præ hac vita, nihil pensi habens immortalem; cum Cæino suspirans, heu! quo me inquit tueri potero, ne à Catholicis occidar? non est retulit Campianus, hic religionis Catholicæ spiritus; & potes facile meminisse, si non illam vt factis, sic mente penitus exuisti. Obtulitque illi commendatitias in Germaniam ardentes, ad principem, cuius domi esset securè, & commodè acturus. Hanc de proditore vindictam exegit Campianus. Post hæc surgens tribunali Iudex Londinensibus Seeriffiis damnatos tradidit, quos dum pone sequitur Campianus, conuersus ad populum, magna tum animi, tum vocis libertate, sic illum affatus est, auditusque ingenti silentio, ex iis, ait, quæ audistis, quorum adestis spectatores pronuntiati sumus rei violatæ maiestatis, voluntque de nobis ita credi, sed causam iudicij huius, veram ex me obiter audite. Si reus forem illorum scelerum, quibus à me læsa maiestas dicitur, nunquam per se Regina ipsamet, nunquam totus Senatus, vitam mihi, honores, libertatem, opesque commodas obrulissent, vellem modo per paucis in rebus morem iis gerere. Imo & lateri qui adstat Dominus Ouuenius Optonus turris Præfectus, illa eadem mihi obrulit quæ Regina, & quæ detulerat Senatus, inflecti tantum ad hoc me snerem, vt in Protestantium templis apparerem: nunquam tantis conductus fuisset, conditionibus, & promissis, si me iudicassent illorum conscium & reum criminum, quorum me supplitio damnarunt. Nostrum est, viti Optimi, totum scelus, fides Catholica, non rebellio, neque Proditio. Quæ verba paulò post morituri, quaquaersum transcripserunt, Holinshedum euineunt mendacem fuisse nec fatis memorem, neque fidelem historicum, Campianus, ait adduci non potuit, eorum cuiquam vt assentiretur quorum fuerat accusatus; populum delusit perpetuo, ad integritatem conscientię suæ in omnibus prouocans. Asserensque nec se, nec alios eo fine in regnum venisse, (coniurationis videlicet, ac Rebellionis) quod aded falsum est (subdit impiè Holinshedius) quàm verum est Deum in Cælo viuere. Quibus ante folium vnum

scriptis; oblitus quæ scripserat, scribit planè iis contraria; repræsentans illos confitentes reos, ore proprio manúque conuictos coniurationis, & rebellionis. Hoc, inquit, in eos probatum est euidentissimè, atque amplissimè, testimoniis fide dignis, ipsismet eorum confessionibus & scripturis.



Londinum appellit Franciscus Dux Alenconij, ad Elizabetham sibi despondendam. Frustra se spebus meliorum Catholici solantur; imo Ducis causa Cæcilius Sacerdotum necem properari iubet. Eorum ex numero Campianus, Sceruuinus, & Briantus ad supplicium deliguntur; mors illorum, & virtus, & qua utrobique singularia.

CAPVT VII.



RELECTVS ad suum in Turri carcerem prono Tamisi Campianus non est ingressus decumana porta; est enim eorum prærogatiuum ius qui ex iudicio, absoluta & prope triumphante innocentia redeunt; sed funestis arctisque foribus, vsu veteri damnatos recipientibus; quæ reliquos item Sacerdotes Colingtono dempto, pari sententia damnatos postridie receperunt; nihil ergo supererat nisi vt postremo laniarentur supplicio. Nonnulla tamen videbatur habenda ratio Ducis Catholici præsentis qui posset morte ignominiosa Catholicorum Sacerdotum graniter offendi; at hæc ipsa ratio, contra quam timebatur accelerauit mortem Campiano. Agitabatur in aula feruidè, de nuptiis Elizabethæ cum Duce Alenconio Francisco Henrici III. Regis Gallix fratre, censebaturque res prope confecta, stabilitis vtrunque conditionibus, & pactis, solúmque deerat, quod expectabatur propediem Henrici suffragium.

Inter Ministros tanti negotij Ioannes Bodinus in Angliam venerat, publicæ gubernationis vir peritissimus, & Regi ab Secretis; ratus hunc esse Personius qui reuera non erat, infimis precibus rogauit, ne grauaretur pro communi causa rei Catholicæ, eiusque Sacerdotum deprecatores se Reginx præbere, quæ nihil non illi esset delatura; ipse vero insigne apud Catholicos Angliæ, sed Deum præsertim ingentis meriti decus initurus, & Regi denique Christianissimo summè gratum, negauit Bodinus, se ab Rege missum ad agendum de Religione, aut de Presbyteris; sed ad conciliandum

matrimonium